



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 57.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

cellos, ad organa, qui res eas tenent, vt ministrare, scribere, canere valeant. Syrus textus etiam idem declarat *מורה למורה* *doctus ad regnum cælorum*, nam particula *ל* non *ב* virtutis Syrus, quæ hoc loco per *פ* seu, ad, explicanda est.

Druj verba adducere opere precium puto: tum quia ex Hieronymo versum nostrum probat, tum quia nostrum interpretem à calumniatoribus vindicat. *cat. l. 3. quæst. Ebraic. c. 57.* [Recens interpret, idem] que omnium quos viderim optimus, vidit Ebrais- mum qui est Matth. 13. 57. voce Scriba in his verbis: *Omnis scriba doctus in regno cælorum. Sed vidit tantum; non explicauit. Explicabo ego, omnis scriba, id est, omnis sapiens, aut, omnis Magister. Nam antiqui Ebraei, sapientes quos nunc dicimus aut magistros, scribas appellabant. Vnum testem habeo, sed luculentum. Elias Germanus Thesbite: Scriba sunt sapientes, qui alio nomine vocantur Magistri. Idem notat indiscriminatim poni SOPHER scriba pro RABBAN magister, & contrâ. Hoc significatu versus videtur Hieronymus epist. 142. Est vir quidam à quo ego plura didicisse me gaudeo, & qui Ebraeorum sermonem ita elinavit, vt inter scribas eorum Chal- deus existimeretur. Matth. 8. scribam vocat, quem paulo ante litteratorem dixerat, qui à Græcis *μαθηματικός* nuncupatur.]*

§. 3. Noua & vetera, ad omnia ciborum, & potus generata potest referri. Thesaurus hic est penu, & apotheca boni patris familias, & prouidi. Qui omni rerum genere abundat, nam in quibusdam libris nouitas delectat, in alijs vetustas precium conciliat, vinis præsertim, ad conuiuia ergo palatum tantam ferulorum varietatem proferebat, omnes enim fere discentie videntur in conuiuio, dum alius aliud probat. Tales igitur apostoli fuere, qui omnia facti omnibus, Græcis, Barbaris, hominum ingenijs sese accommodabant, & de ingenti sapientiæ thesauro promebant, quæ diuersis essent idonea. Quod etiam magnopere diuersi hodie agendum est concionatoribus, exemplo Pauli, qui cum Iudeis ex veteri scripturâ, cum Atheniensibus ex nouâ idoli inscriptione disputat. Ridiculosos hac in re experimur hæreticos, qui cum se egregie doctos arbitrantur, si veteris & nouæ scripturæ sententias congerant: quod non monerem, nisi ipsi testes mihi essent. Wolff Musculus [Imperiti putant, eum esse doctum in regno cælorum, qui multos scripturæ locos, vsque repperit, acerrimam inducit: & si quem audierint, qui non multos vsurpet, sed rem ipsam clarescere & persimilitudines dicat, prout putat exigere caput auditorum, eum putant non esse doctum, cum hoc ipsum sit hominis docti in regno cælorum.]

VERSUS 54.

Et veniens in patriam suam, docebat eos in Synagoga illorum, ita vt mirarentur, & dicerent, unde huic sapientia hæc, & virtutes?

QUESTIO I.

Cur venit in patriam, & quæ ibi acta?

Prima ratio, vt ipsis quoque vbi educatus erat, ideoque nomen trahebat, gratificaretur, salutemque annuntiaret. Sabbato autem Synagoga ingreditur, quod tum Dei verbum legeretur, & de facis rebus disputationes haberentur. Hoc etiam notandum, licet dominus ipse sabbatum coluerit, non tamē Christianos id agere voluit, ne cærimonias omnes iussas esse putemus. Vltus autem sabbati, omniumque

Adami Conzen in Euang. Tom I.

festorum est, vt cultus Dei augeatur, non vt inani ocio tempus transigatur.

§. 2. Magna etiam ratio erat, quod fratres eius sparserant, infamare eum & furere. Ideoque spectatim recitet Euangelista eos admiratos dixisse. Vnde huic sapientia hæc, & virtutes. Sciebant enim Ioan. 7. 15. literas eum non didicisse. Lucas hanc historiam subiungit c. 4. 16. post ingressum in Galilæam, sed tamen indicat, non in inicio, sed postquam multa signa fecisset in Capharnaum v. 23. Quamuis multi diuersam profectiorem arbitrentur.

§. 3. Homines autem profani, cum viderent tota signa Prophetæ, ideo solum eum contemnunt, quia ciuis eorum est. Mirantur, non tamen conuertuntur. Nec grati sunt, cum ciuem ipsi suum tantum colere, & amare debuerint. Itaque & nunc vrbs illa desijt, nec vnquam deinde nomen habuit.

VERSUS 55.

Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria; & fratres eius, Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas: & sorores eius nonne omnes apud nos sunt?

QUESTIO I.

An Ioseph faber, & qualis?

§. 1. *M*atth. 6. 3. vocat eum fabrum, vtrūque igitur dixerunt, & fabri filium, & fabrum, fabri fabri filium itaque cum patre exercuit. Qualis faber Iosephus fuerit, incertum est: alij murarium, alij aurificem, alij ferrarium, plures tignarium fuisse arbitrantur. Græcum *τεκτων*, & Syriacum *ܩܝܢܐ* commune est pluribus officijs. Quamuis autem *τεκτων* generale sit, solet tamen accipio fabro materiario, seu tignario, cum absolutè, & sine addito ponitur: Sic Xenoph. Cyrop. l. 5. *χαλκείας τε & τέκτονας & σκευτολόγους*. Vbi *χαλκείας* appellat, fabros ætarios, *τέκτονας* vero tignarios, atque ab alijs distinguit. Confirmat hoc prisca opinio Christianorum. Nam Christianus pædagogus Libanio Philosopho querenti, quid facit fabri filius, respondet: Patere loculum Iuliano, quod apud eum diceretur, nisi de fabro tignario loqueretur. Histor. Trip. l. 6. c. 44. In Antiochiâ vir quidam adolescentiam pædagogus habitabat, eratque illic famosissimus Sophista, Libanius impius, expectans Iuliani victoriam, habens præ oculis eius minas. Ergo interrogauit pædagogum, quasi nostram deridendo religionem. Nunc, inquit, fabri filius, quid putas agit? At ille (quod post paululum contigit) completus gratia diuina, respondit: O Sophista, creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, loculum sepulturæ Iuliano componit. Post paucos enim dies mors illius nunciatur, &c.

Habet aliquam fabrilis ars cum arbore in quâ peccatum, & quâ peccatum expiatum est, communem analogiam, & non negligendam significationem.

VERSUS 57.

Et scandalizabantur in eo, Iesus autem dixit eis, Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua?

QUESTIO I.

An non sit propheta sine honore nisi in patria?

Bb

§. 1. Pe-

Matth. 6. 3.
Euangelia
C. VI
18

Propheta in
patria sine
honore.

Peregrinus in regionibus etiam sine honore
Propheta, imo Apostoli. Ontumeljs & ludi-
brijs affecti. Nonnulli etiam in Patria honorati fue-
runt, vt Samuel, Dauid, Salomon, Nathan. Si tamen
rem penitus inspicimus, facile apparebit, illos ipsos
non pro merito honoratos, Samuelem senem reiece-
runt, nec acquieuerunt. Dauidem optime meritum
deseruerunt. Et iam post mortem odiose clamant.
Nunc vide domum tuam Dauid. Quasi iusta Dei promif-
sa reddere suam rebellionem possent.

Ciui-
bus in-
uident.

§ 2. Cur in patria Prophetæ sine honore sunt, plu-
res sunt rationes. Commune malum est inuidia, na-
turale autem penes est, ciues ciuibz inuidere. Ciui-
bus inquam non exteris. Nec enim Senator Roma-
nus cum Senatore Carthaginis similitatem gerit. Et
enim qui remoto in loco ædificat, luminibus ostruere
non existimatur: Proximi culminis fastigia tristes
aspiciunt. Vicinæ prosperitatis successus vrit, cognata
virtutis odio prementur etiam amici. Deinde
multi, qui se parentibus & familiæ ex qua ortus est
Propheta præferunt, ringunt ut se ab ipso Propheta
superari. Quod tanti superbis videtur vt etiam bene-
ficia aspernentur, quod ea testimonio sint, inferiores
esse, & obnoxios, qui illa accipiunt. Ipsa etiam fa-
miliaritas contemptum parit. Contrâ peregrina mi-
tantur. Ignota enim plurijs esse putantur.

VERSUS 58.

*Et non fecit ibi virtutes multas pro-
pter incredulitatem illorum.*

QUESTIO I.

Cur multa miracula non fecit in Patriâ?

Noñ in
Patriâ vir-
tutes fa-
ci-
re.

§ 1. Non modò multa non fecit, sed ne potuit
quidem facere, vt est apud Marcum 6. 3.
Dicimur autem id facere non posse, cuius faciendi
causam legitimam nullam habemus, & insuper ius-
tam rationem cur non faciamus.

Chrysost. & Hieron. comm. monent ideo aliquas
fecisse virtutes, ne grauiori damnationi obnoxios

redderet. Aliqua signa fecit, ne patia contemptor
videretur. Dicitur facere non potuisse, non impo-
tentia, sed iudicio, quod indignos se redderent, op-
erum tantorum calumniatores.

§ 2. Causa dicitur eorum *incredulitas*, incredulitas, quam
male nonnulli vertunt diffidentiam. Non enim ideo
miracula omisit, quod illi non crederent se prædesti-
natos esse, aut nō crederent nulla sibi peccata impu-
tatum iri, seu omnia præterita, præsentia futura remis-
sa, etiam si de præcipitio Christum deturbarent. Que
igitur sit hoc loco *incredulitas* ex contextu constat. Nam
querunt, unde huic sapientia hæc & virtutes? & apud
Marcum 6. Unde huic hæc omnia? Non credebant eum
à Deo habere, ideo mirantur, si enim id credidissent,
non fuissent in eo scandalizati, vt aiunt Euangelistæ.
Scandalum igitur ex eo fuit, quod obfessum à demo-
ne, aut eius operâ illa effici putarent. Quo circa
apud Lucam, Christus v. 17. exponit locum Matæ 6. 1.
vt vocatione suam illis approbet. At illorum vt mo-
ner S. Augustinus: Mira stultitia mirantium, unde sapi-
entia habeat sapientiam, virtus virtutem: personam conte-
mnebant, nec aliam contemptus causam habebant,
quam quod notum erat Propheta genus, quod esset
iudeus, ille Faber. Indignum enim putabant Fabro sa-
pientiam dari, non sibi, quasi diuini fastidio, aut Do-
ctorum illa supercilio deberetur. Duo autem illa gra-
tiam diuinam vehementer impediunt. Dum scilicet
arrogantes sibi debent omnia præsumunt, cū id ipsam,
propter quod superbiunt à Deo habeant. Alterum est,
quod dona in alios collata odio, & contemptu per-
sonarum despiciant. Ideoq; se indignos illis reddant.

§ 3. Cum igitur eâ causâ miracula non fecerit,
quod illis ipsis scandalizarentur, nec à Deo crederent,
facile apparet, quid dicat *incredulitas*, in incredulitatem sci-
licet iudicium intellectus, quod dissentit, ab eo quod
Deus proponit, ex quo constat, ex contrariorum rati-
one *incredulitas* esse consensum intelligentiæ cum eo quod
ille reuelauit. Hæc enim incredulitas non opponitur
fiduciæ, nisi remotè, quatenus illa eam tollendo fi-
dem etiam tollit, sed fidei, aut credulitati, quam pro-
positus à Deo articulis assentimur.

CAPVT XIV.

Marc 6 b. 1.
Luc 9 a 7.
Mat 6 c. 17.
Luc 3 d 19.
Inf 21 c. 16.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu: 2. & ait pueris suis: Hic est Ioannes Bapti-
sta: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Ioannem &
alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiam uxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi
Ioannes: Non licet tibi habere eam: 5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut pro-
phetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & pla. uit Herodas.
Unde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumq; postulasset ab eo. 8. At illa præmonita à matre sua, Damis-
trigui, hoc in disco caput Ioannis Baptistæ. 9. Et contristatus est rex: propter iuramentum autem, & eos, qui
pariter recumbebant, iussit dari. 10. Missi que, & decollauit Ioannem in carcere. 11. Et allatum est caput
eius in disco, & datum est puella, & attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli eius, attulerunt corpus eius &
sepelierunt illud: & venientes nuntiauerunt Iesu. 13. Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula, in
locum desertum seorsum: & cum audisset turba, secuta sunt eum pedestres de ciuitatibus. 14. Et exiens vidit
turbam multam, & miserrus est eis, & curauit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum di-
scipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt: dimittite turbas, vt euntes in castella, emant sibi
escas. 16. Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. 17. Responderunt ei: non ha-
bemus hoc nisi quinq; panes, & duos pisces. 18. Dixit eis: Afferte mihi illos huc. 19. Et cū inisset turba discum-
bere super fenum, recepit quinq; panibus, & duob; piscibus, aspiciens in caelum benedixit, & fregit, & dedit di-
scipulis. Discipuli autem turbas. 20. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et iulerunt reliquias, duo-
decim co. binos fragmentorum plenis. 21. Ad manducandum autem fuit numerus, quinq; mill. a virorum, exceptis
mulieribus, & parvulis. 22. Et statim compulsi Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans
fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus
erat ibi. 24. Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. 25. Quarta
autem vigilia noctis v. mit ad eos ambulans super mare. 26. Et videntes eum super mare ambulantem, turba-
ti sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. 27. Statim, Iesus locutus est eis, dicens:
Habetis

Luc 9 b 10.
Mat 6 d 26
Ioan 6 b 9

Marc 6 f 43.
Ioan 6 b 9
Ioan 6 b 17